



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Horologium Spirituale Scholasticorum Societatis Jesu

Dirckinck, Johann

[Osnabrugi, 1696

III. Piè transigendi dies Antecinerales.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55025)



cecinerint: Gloria in excelsis: & Pastores advocaverint. Pastoribus quòd adorârint: Regibus quòd munera obtulerint. *Octavo* cogita, quales cogitationes & affectus elicerit Puer de Bethlehem in præsepio, erga Patrem, Spiritum Sanctum, B. Virginem, S. Josephum, Angelos, Pastores, Reges. *Nonò* offer SS. Trinitati hunc puelum pro tuis & mundi universi peccatis. *Decimò* compatere Christo, pauperiem, frigus & alia sustinenti *Undecimò* osculare in spiritu sacratissimos ejus pedes, manus, fascias, præsepe, stabulum. *Duodecimò* redama te sic amantem, & reipsâ amorem demonstra, imitando Dominum & Regem tuum potissimum in quinis hisce virtutibus, paupertate, humilitate, mansuetudine, sensuum omnium mortificatione & charitate.

### PRAXIS III.

*Piè transigendi dies antecinerales.*

**C**ùm homines mundani, hisce diebus plus libertatis assumant, & mundo, carni ac Diabolo serviant; Religiosus Societatis fervens ac sincerè Deum diligens, observare poterit sequentia.



I. Abstine à peccato, in quod sæpius labi soles.

II. Auge tempus orationis, saltem horâ dimidiâ.

III. Lege Librum spiritualem paulò diutiùs.

IV. Novâ aliquâ pœnitentiâ corpus afflige vel antiquâ longiore.

V. Visita frequentius Sanctissimum Sacramentum, & affectum compassionis erga Christum demonstra, quòd hoc tempore adeò malè tractetur: solent enim amici solatii causâ sese invisere.

VI. Qualibet horâ elice affectum doloris de peccatis hujus temporis.

VII. Saltem ter in die profundissimâ genuflexione adora Divinam Majestatem versus quatuor mundi partes: & hac amorosâ adoratione quodammodo compensare stude, peccata Mundanorum, quæ in istis partibus accidunt: dole, veniam & conversionem pete, atque ad hanc obtinendam Jesu merita & sanguinem offer. Hac ratione S. Maria Magdalena de Pazzis multorum peccatorum conversionem obtinuit. c. I OI. vitæ.



VIII. Opera bona ordinaria obi diligentius, perfectius & ferventius: cum servi Diaboli ferventius Deum offendant.

IX. Adjunge extraordinariam communionem ad placandum Deum tot modis offensum.

X. Solito magis mortifica gulam, sive in quantitate, sive in qualitate, quâ toties hoc tempore Deus offenditur.

XI. Sermones & colloquia de rebus divinis cum amico institue; cum toties Deus offendatur impuris sermonibus.

XII. Cum mundani otio indulgeant, tempus utiliter transige; & præter honestam, & religiosam recreationem, culpâ vacantem, saltem partem aliquam temporis utili occupationi tribue.

#### PRAXIS IV.

*Affectuum & devotionum, tempore  
Quadragesimæ.*

**B**eatissima Virgo S. Birgittæ dixit L. 2. rev. c. 21. In sepulchro Filii mei, semper cogitatio & cor meum versabatur; idemque illi Sanctæ imitandum suavit. L. 2. c. 26. Et tu id imitare hoc sacro tempore,